...anus

...ndreae et Fredro Max. Jacobi:

Gratulatio Floriano Miciakowski.

Gratulatio

GENEROSO AC NOBILI ADOLESCENTI

FLORIANO MIIAKOWSKI

VIRTVTIS AC ERVDITIONIS LAVDE PRÆCLARO.

Cum primam Philoſophiæ lauream in Alma Academia Cracouienſi publice ac ſolenniter conſequeretur.

AB.

Andrea Makowiecky, & Iacobo Maximiliano Fredro, eiuſdem Academiæ ſtudioſis in honoris monimentum & argumentum amoris.

Dicata.

CRACOVIÆ,
Anno Domini, 1610.

IN STEMMA.

ILLVSTR: AC REVEREN: DOMINI D. PETRI Tylicki Episcopi Cracouiensis.



VEræ crux fidei, bona lux, certæq; salutis,
At Solea est magni roboris, indicium.
Præsul vtrumq; tibi benè cessit Stemma paternum
Polles consilio, fortiter, ipse suo
Relligione micas. Quid? Nomine cresce Tylicki
Fulgidus, ac fortis Præsul in orbe nite.

Illustre

ILLVSTRIS: AC REVERENDIS: DOMINO.

DOMINO PETRO TYLICKI, D. G.

EPISCOPO CRACOVIENSI, DVCI SEVERIEN: Cancellario Academiæ dignissimo Domino & Patrono clementissimo.

VEtus est Prouerbium Illustrissime Princeps, eos qui thura non habent, molâ salsa litare. Indignum enim est, vt animo ingenuo ac liberali, inopia detrimenti aliquid afferre possit. Quare cogitanti quoq; mihi, aliquod argumentum studii ac obseruantiæ meæ C. V. declarare, in quo & munificentiæ C. V. aliquod testimonium extaret, & mea grati animi significatio ab omnibus nosci posset: ipsa ratio indicauit, vt quod hactenus in votis habebam, id hoc exiguo ingenii mei specimine patefacerem. Morem Palladis in hoc secutus quæ cum Tiresiæ luminibus priuato restituere vsum cernendi non posset vt tamen sonos agnosceret, auribus expurgatis effecit. Ita mihi quoq; cum in laudes tuas excurrere, tum ob virtutum tuarum splendorem (quæ ea sunt dignitate vt multorum eloquentiam fatigarint) tum ob ingenii mei imbecillitatem, non liceat, hoc vnum quod & possum & debeo, vna cum socio ad omnia obsequia Illustr: C. V. promptissimo offero. Quoniam autem ea quæ sub auspiciis C. V. (cuius liberalitatem, tum præsens ætas celebrat, tum posteriora sæcula mirum in modum sunt celebratura) geruntur, ad C. V. meritò pertinere videntur, ideò hæc metra, à cliente in laudem clientis sub patrocinii tui vexillo militantis, scripta, amplitudinis quoq; vestræ nomine prodire debent insignita. Sic enim decorata & lucis à tui nominis splendore nullum sunt habitura, & legentibus, spero, futura sunt iucundiora. Etenim si Alexandri Magni imaginē qui gestare olim potuit felicitatem ea re sibi pollicebatur: quanto maior felicitatis opinio nos consequetur, si hoc leuidense opusculum nostrum sub titulo Amplissimi nominis tui, lucem aspiciet. Accipiet igitur C. V. hoc exile medulamen, eodē animo quo Rex ille potens Artaxerxes vnum haustum aquæ, ex præterlabenti amne à quodam milite sibi oblatum: si quidem non Rege Artaxerxe solum, sed penè omnibus benignior esse & haberi studet. Quod reliquum est à tua Illustr: C. peto, vt mihi pro maximis in me collatis beneficiis, non referendæ gratiæ (neq; enim locus est, aut per tuam amplitudinem aut per meam tenuitatē) sed testandi animi, testandæ fidei & obseruantiæ occasionē præstet, experietur animum meum, supra omnem opinionem tibi deditum, ad omnia obsequia, dignus modo aptusq; sim, C. V. promptissimum. Cui cælestis gratiæ accessionem summamq; felicitatem ex animo precor.

Illustris. Celsit. vestræ,

deditissimus Cliens

Andreas Makowieck.

Labor omnia vincit.

AD FLORIANVM MIIAKOWSKI ODE MONOCOLOS.

FLos gentis FLORIANE Miiacoui,
Musarum decus ô perenne, luxque.
Dignus miles honore nuncupatur,
Qui frigus pluuiasque corde forti
Qui diram rabiem famis voracis
Et solis tulit ardui calorem,
Ferrum nec metuit hostis ferocis.
Quem non terruit æquor incitatum,
Aut iræ, pelagi truces, timendi
Cùm fluctus iacit ad polum tumentes,
Et miscet lapides aquis leuatos
Hic nomen meruit celebre nauta.
An fructus resides agri iacentis,
Cultores capiunt manu cauata?
Sic est: omnia Dii labore vendunt,
Fructus dat labor improbus feraces,
Nomen dat labor improbus perenne,
Sacratæ veniunt labore Musæ,

Virtutes

Virtutes labor inserit decoras.
Vicisti Floriane onus laboris,
Parnasi iuga iam vides anheli,
Ac lætis oculis vides corollas,
Quas Musæ tibi nexuere pulcras.
En splendet caput, & genę nitescunt.
Virtutis nitor, artiumque fulget.
Et mens nobilis emicat per alta.
Sic nomen tibi crescit orbe clarum.
Sic sacræ decus adferunt Camœnæ.
Sic donat labor improbus quod optas.
Florescas igitur per omne tempus
Flos gentis Floriane Miacoui,
Musarum decus ô perenne, luxque.

DIALOGISMVS.

Poeta cum Floriano Miiakowski.

P. DIc age, quo properas Floriane sodalis amande,
Et cur Parnassi, tecta per alta petis.
F. Musarum vt potem Aonios de fonte liquores
Vtque caput lauro, cingat Apollo meum.
P. Siste gradum, nonnè es decoratus Nobilitatis
Stemmate: F. nec ceruum cornua bina premunt
P. Te premet iste labor, quē maxima cura sequetur
F. Est leuis iste labor, quem comitatur honor.

 P. Desine

P. Desine; verus honor sola virtute paratur,
F. Et virtus magno parta labore venit.
P. Falleris ah demens, ab aquis cū curris ad vndas,
F. Dulcius ex ipso fonte bibuntur aquæ.
P. Succumbes lassus, nimis est via longa terenda,
F. Musarum auxilium turba nouenna feret.
P. I. decus, i nostrum Musis Phæboq; fauente,
Ardua te virtus altius ire iubet.
I. Virtute potens, i felix diuite lingua,
Ingenio facilis iudicioq; valens.
I. Pede felici, Deus hæc tua cæpta secundet,
Aonio lætus, vertice, siste pedem.

Iacobus Maximilianus Fredro.

AD PETRVM MVCHARSKI
Epigramma.

IVdicium, ingenium, virtus, magniq; labores,
Te faciunt dignum, laude & honore nouo.
Scilicet es dignus, frater cui Traicius Orphêus,
Sit genitor Phœbus, Calliopeque parens.

A L I V D.

Magnus es ingenio, maior pietate, at maximus (arte,
Ergo te magnū gloria magna manet.

Aliud

ALIVD.

Mvnera, promoto tibi, tradere Petre volebam,
Ecce ferunt Musæ, tu mihi Petre dato.

ECHO.

Nvnc age quæ vastis resides in vallibus ECHO,
Nunc celebres socii maxima dona. E. SONA.
Diua sona & referas quid compensare labores
Ingenii poterit? noscere conor. E. HONOR.
Dignus honore nouo, tantos qui pertulit æstus,
Illi debetur laus generosa. ROSA.
Hæc rosa doctrinæ multos recreabit odore
Cuius nunc florem, Musica det Clio. IO:
Dic io nam repulit Mauortia tela Sophorum,
Quod proprium ducibus magnanimis. ANIMIS.
Nunc animis lætis cuncti depromite versus,
Parnassum subeas ô FLORIANE. CANE.
Nil dubita, ore canam, celebrabo & carmine laudes,
Tuq; vnà mecum, carmina psalle. VALE.

IACOBVS Maximilianus Fredro.

LAVREO

LAVREA SERTA CAPE. LAVREO ES INGENIO,

Phœbe Fauetoi
Musæ Laurea serta
Nũc fausto Omine nectite;
Parnassiis Regnis nouus
Aduenit hospes: Io sonores dicite.
Semper hîc vestras Acies sacratas
Impensè coluit: Nomina laude
Ampla cõcelebrãs; & Vsque ad astrã
Ferens; bibit Sacri ore fõtis humorés!
Vir virtute potens, Magnus & artibus,
Clarus studio Sophiæ, Iugenioq; potens viuido.
Doctus & facundus, Ac nités Mineruę dote pulcrã:
Quare Parnassi Carmine tecta sonent.
Magniloquo roboent mOntes ac flumina cantu
Exornetque caput Viridanti ex fronde corona,
Accinat õne nemus, repetatq; Io, laudibusque adornet.
Dignus Laurea vir, Vera soboles ACADEMIAE.
Dignus honore nouo Sacrati Heliconis Alumnus.

IACOBVS MAXIMILIANVS
FREDRO.